



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Vtrum Deus sit Bonum perfectè fatiativum substantiæ
intellectivæ, creatæ, & quomodo hoc stet cum inqualitate Beatitudinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

communiter non priventur bonis temporaneis ob sua scelera; ergo quod Virtus esset magis ardua, eo plus haberet de malo absterrente; nulum autem haberet motivum specialiter, & cum debita efficacia ac proportionem alliciens: ergo debita communiter contemneretur: ergo cessaret utilitas obligationis ad illam, utpote nociva, hoc est, occasio plerumque certa peccatorum multiplicandorum. Debit ergo Natura virtuti providere primum excedens omnia illa bona, quae scelerati etiam in hac vita consequi possunt, & plerumque prae virtutis consequuntur: ergo debuit esse bonum quoddam post hanc vitam, & quidem bonum aeternum; tum quia solum bonum aeternum non est contemptibile prudenter; tum quia, si semel admittitur, animam post hanc vitam aliquandiu perseverare, ineptè negatur eius immortalitas, ut ex dictis de Angelorum immortalitate patet.

CONTROVERSIA II.

Utrum DEVS sit bonum perfectè Satisfactorium Substantiae Intellectivae creaturae, & quomodo hoc stet cum inaequalitate Beatitudinis.

Prætermis illis, quae Philosophi morales disputant de bonis creatis, an possint habere rationem ultimi finis satisfactorii, brevissimè potest generalis ratio reddi, cur non sit possibilis felicitas naturalis perfectæ & plenè satisfactoria; supponendo, quod felicitas debeat consistere, saltem inadæquatè, in Intellectione tanquam operatione perfectissima. Omnis res creata est essentialiter effectus alicujus Causæ nobilioris, nempe primæ: ergo quamdiu hac non cognoscitur ad satisfactionem, nunquam est satisfactus intellectus, semper appetens scire causam rei. Non sinit autem cognitio abstractiva Causæ primæ, quæ generatur per species alienas, quarum beneficio cognoscimus in ipsis creaturis dependentiam à prima causâ: hæc enim cognitio non est exclusiva summæ miseriæ, ut patet in damnatis.

13. Restat ergo, felicitatem perfectam haberi non posse, nisi per Visionem Dei, tanquam objecti infiniti, eo modo, quo deinceps declarabitur.

Obijciunt. Beatitudo, quæ habetur per Visionem Dei, suscipit magis & minus, sive inaequalitatem: nam pro diversitate meritum alius alio beator est, servatâ nimirum proportionem inter meritum & præmium: sed hæc inaequalitas beatitudinis arguit in Beato capacitatem & materiam tristitiæ & afflictionis: ergo nulla est possibilis beatitudo tam perfecta, quæ sit incompossibilis cum tristitia. Minor probatur. Inaequalitas enim Beatitudinis includit carentiam majoris beatitudinis, & quidem talis augmenti,

propter quod acquirendum prudentissimè quis anxius esse deberet in via, ne illo careat suâ culpâ, quod si impeditum fuit (ut in multis beatis impeditum est) utique erit materia tristitiæ: ergo saltem non omnis Visio Dei erit satisfactoria: unde facile poterit argumentum promoveri ad omnem possibilem Dei visionem, quamvis id necesse non sit, ut objectio vim sufficientem habeat, cum omnis Visio Dei dicenda sit esse satisfactoria.

14. Ad hanc Objectionem variæ sunt excogitatae responsiones, quæ non exhaustunt difficultatem; cuiusmodi est illa, quæ inaequalitatem beatitudinis comparat cum inaequalitate vestium, juxta inaequalitatem corporum vestiendorum; unde (dicunt) sicut, qui est minoris stature, non appetit vestem majorem sibi improporcionatam, ita qui inferioris meriti est, non appetit Visionem sibi improporcionatam. Quasi verò, si major vestis esset in se majus bonum, non posset quis tristari, quod suâ culpâ non crevisset in virum perfectum, ut sibi quoque vestis major conveniret. His ergo prætermis

15. Cardinalis Pallavicinus q. 2. a. 9. n. 4. respondet objectioni: beatos omnes, quantumvis dispares, esse tamen sorte suâ contentos, quia ille est contentus, qui habet, quicquid vult vehementer & primariò. quando enim habemus bona præcipua amata, nihil sollicitat absentia alicujus boni amati minimo amore in comparatione illorum. Atqui bonum præcipuè amatum ab omnibus beatis est, quod Deus ipse sit felix, & omnes vident eum esse infinitè felicem: quare in hac parte non habent, quod desiderant. Quamvis autem ipsi sint inaequaliter felices, amor tamen, quem habent ad felicitatem propriam, respectu amoris, quem habent ad felicitatem divinam, obtunditur, sicut radius candelæ ad radium solis. Quocirca per illam inaequalitatem felicitatis propriæ non constituitur aliqua inaequalitas considerabilis in ordine ad explementum votorum, & consequenter in ordine ad id, per quod redduntur contenti. Hæc ille.

16. Pro meliori intelligentia & efficacia solutionis, observandum est primò; posse etiam circa bonum creatum existere tam vehemens gaudium, ut ex natura rei sit impeditivum doloris aut tristitiæ de aliquo malo vel carentia alicujus boni possibilis, quæ tamen tristitia suboriretur, si abesset illud vehemens gaudium: hoc ipsum autem vehemens gaudium de magno bono non excluderet gaudium proportionatum de quocunque bono minore, quod oriretur, si illud vehemens gaudium abesset. Ratio disparitatis est; quia gaudium de vno bono non est contrarium gaudio de alio bono compossibili; & ideo conducit potius ad eliciendum facilius alterum gaudium: At verò gaudium & tristitia sunt affectus ex modo tendendi valde contrarij, & ideo vehementia vnius potest alterum omnino impedire. Declaratur in exemplo, simul & ab experientia.

Quando

Quando Patriarcha Jacobo fuit à filijs ex Ægypto redeuntibus nuntiatum, filium ejus Josephum adhuc vivere, & dominari in tota Ægypto, esseque Regi proximum, gaudium Jacobi procul dubio tam vehemens fuit, ut non admisisset ullam doloriferam tristitiam de malo valde exiguo tunc eveniente, v. g. si ovicula crus fregisset.

17. Ratio à priori est, quia malum comparative parvum potest fieri æstimabile & afflictivum per solam absentiam maximi boni: ergo presentia maximi boni tollit æstimabilitatem parvi mali. antecedens declaratur in allato exemplo. Fractio cruris unius oviculæ esset malum afflictivum hominis pauperis, non habentis, nisi unam aut alteram oviculam, & omni alio solatio destituti, licet non fuerit æstimabile malum Jacobo abundanti & gaudijs affluenti. Sic dives epulo unicam aquæ guttam maximi fecit constitutus in tormentis, & ejus carentia vehementer afflixit, etsi nihili eam fecisset constitutus in luxu prioris vitæ.

18. Observandum est. 2. Omnes beatos videre Deum secundum omnes perfectiones primarias, & in ratione Boni infiniti, & hoc sensu omnes esse æquales in beatitudine essentiali & quoad substantiam, & esse tantum inæquales in beatitudine accidentali, quatenus unus videt plures perfectiones seu attributa secundaria, hoc est, quatenus in Deo, ut in medio cognito, discernit plures respectus ad plures creaturas. Porro hujusmodi augmentum majoris intensiōis seu extensiōis, non est simile augmento rei materialis per partes æquæ æstimabiles secundum se seorsim, prout est additio unius aurei ad alios aureos, quia unus aureus secundum se est æquæ æstimabilis ac alter, nec unus est ex essentia sua additio ad alterum, sed potest seorsim consistere. Itaque augmentum beatitudinis accidentale est additio ex eo genere additionum, quæ ex essentia sua habent æstimabilitatem præcipuam ab eo, cui superadduntur, ut bene observavit P. Esparza q. 5. a. 3. Excessus ergo gaudij accidentalis habet suam æstimabilitatem præcipuam à gaudio substantiali, quod consistit in Visione Dei secundum attributa primaria.

19. Observandum. 3. Beatum non cognoscere quidditative gradus illos beatitudinis, quibus ipse caret, & quos habere potuisset, sunt enim infiniti; unde tam est impossibile, hos omnes gradus quidditative cognosci, quam est impossibile Deum comprehendere à creatura: cognoscit ergo tantum abstractivè; qui cognoscendi modus non est tam idoneus ad causandum dolorem de absentia boni, sicut est cognitio quidditativa, ut manifestum est. Nunc ergo

Dicendum est, Beatos ideo non posse tristari, inquietari, & angustari molestè ob carentiam majoris beatitudinis, quia vis motiva cognitionis abstractivæ de illo gaudio accidentali absente penitus reprimatur à vehementia gaudij de bono infinito possessio; cui gaudio si comparatur illud

additamentum, quod ex visione plurium creaturarum superaddi posse beatitudini essentiali beatius abstractivè cognoscit, apparet gaudium exiguum, & per consequens, ejus carentia apparet malum exiguum, non sufficiens ad inducendum molestiam tristitiæ.

CONTROVERSIA III.

In quonam Actu consistat Beatitudo formalis.

20. Sicut Veritas alia dicitur objectiva, alia formalis, ita Beatitudo aliquando sumitur pro objecto Visionis Dei, amorisque consequentis, vocaturque *Beatitudo Objectiva*, & est ipse Deus, aliquando sumitur pro ipsa Visione vel amore, quibus videlicet efficimur possessores Beatitudinis objectivæ, & hac vocatur *Beatitudo Formalis*, seu possessio Beatitudinis.

Controversia est, an Beatitudo formalis consistat in visione Dei, an in amore beatifico consequente. Pro resolutione

21. Notandum est primò, quæstionem hanc quoad præcipuum punctum esse de modo loquendi, ut in progressu patebit: in re enim convenire omnes debent, nempe primum actum & velut originem caterorum in beatis esse Visionem Dei, & ad hanc sequi amorem, habentem pro fine CVI ipsum Deum; bona verò intrinseca Deo esse finem *cujus gratia*: sequi item gaudium quoddam reflexum de ipsa visione Dei, quod vocari solet à multis *Fruitio beatitudinis*: & quamvis hoc reflexum gaudium aliqui voluerint etiam esse de essentia beatitudinis formalis, rectius tamen excluditur cum S. Thoma, quia tale gaudium supponit jam possessam beatitudinem objectivam, nam de hac possessione gaudet beatus. Est ergo tota lis circa priores duos actus, cuinam ex illis ratio *Possessionis* conveniat; quæ lis utique tandem pendet ex acceptione & significatione hujus vocis, in qua, si semel Auctores convenirent, facile statueretur, in quonam actu consisteret *Possessio*. Si ergo hæc vox *Possessio* diversos sensus recipiat, fieri utique poterit, ut in uno sensu Visioni, in alio Amori conveniat. Pro quo ulterius

22. Notandum. 2. Possessionem hoc loco non accipi in sensu Juridico, in quo quis potest habere possessionem, & tamen carere dominio rei possessæ, & contra potest esse dominus, & tamen carere possessione; sed accipi potius in sensu physico & intentionali, pro tali apprehensione objecti, vi cuius bonitas objecti nobis quasi appropriatur, & fit nostra. Potest autem hujusmodi appropriatio distingui in radicalem & formalem. Appropriatio radicalis erit illa cognitio objecti, quæ indispensabiliter post se trahit amorem objecti, & hujusmodi est Visio Dei: amor verò Dei erit appropriatio formalis, quia per ipsum amorem formaliter fiunt bona amati bona amantibus, ut deinceps declarabitur. Sicut ergo apud